

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

MINO volente brevi coram. Data raptim Sturgardiæ, 22. Junii, Anno salutaris, 1573.

Tua R.

studiosissimus

Lucas Ofiander, D.

CXXXIIX.

Salutem in Christo.

Quid ad me scribat D. D. Sulzerus, ex inclusis literis intelliges. Quem ego etiam lubens juvissem. Sed propter omnium rerum caritatem & studiorum paucitatem, illi locus apud nos esse non potuit. Quapropter Argentoratum cum esset iturus, rogavit, ut illi literis D. Sulzeri frui liceret, & easdem meis inclusas tibi transmitterem, quod negare non potui. Facias ergo pro pietate tua, & erga studiosos pauperes amore & benevolentia. Quod Filius DEI agnoscat & in comiciis suis prædicabit. Bene & feliciter vale. Raptim Tubingæ, Calend. Julii, 1573.

Tuus ex animo frater

Jacobus Andrea, D.

CXXXIX.

Scriberem sæpius, vir ornatissime & charissime frater, si quid offerretur, quo te vel oblectare possem, aut utiliter certiore facere. Verum illud non sinit horum temporum fatalis calamitas, hoc verò quia nihil magnopere incidit apud nos saltem, quod non prius abundè sit cognitum tibi. Eodem enim versatur in statu Ecclesia & Schola, vigilamus pro vitili, & progredimur, quo licet, non quo volumus pede. De vestro paroxysmo non desinimus benè sperare, fore ut aliquando exitu nequaquam sinistro terminetur, nec dubitamus, divina providentia decisionem finalem suspendi, dum medio nemini hæctenus fortè præviso, aut præcogitato benigna in sedem vice restituantur, ut incolumitatem habeat schola, sicut per DEI gratiam habet Ecclesia, patientia autem interea opus est, qua possidentur animæ, nec moram esse longam putetis, in qua periculi nihil, consilii verò plurimum fuerit. Si quid inciderit, gratum erit, si me feceris certiore. Profectus in mense Majo in patriam